

sentiam domini potestatis vel eius vicarii, ac etiam examinari et scribi dicta ipsius testis singulariter per cancellarium communis et iuramentum et diem iuramenti, antequam alius testis examinetur, et quelibet partium iurare possit facere suos testes et examinari ut supra, parte adversa presente vel abs(t)ente, citata vel non citata, reservato iure partium opponendi tam contra personas testium quam contra dicta ipsorum post publicationem processus; et publicato processu in aliqua questione nullus testis vel probatio talis fieri possit in principali questione. ¶ Preterea volumus // quod recordatio vel testificatio, quam potestas eius vicarius vel iudices vel rectores Tergesti [facient] de negociis in eorum regimine ventilatis, postquam conpleverint regimen eorum, nisi scriptum repertum fuerit, sit inutilis et nullius valoris ultra eorum tempus, sed ad commodum communis valeat et teneat, si plures fuerint qui testificarent sacramento. ¶ Et si qua persona confessa fuerit extra iudicium recepisse a debitore vel sibi solutum esse de aliqua pecunia contenta in aliquo publico instrumento vel precepto, quod talis confessio non preiudicet¹⁾ confitenti nisi de ipsa appareret publicum instrumentum.

Cap. XII. Rubrica de petitionibus positionibus et capitulis producendis et responsionibus eorum. R.ca.

Mandamus quod in qualibet questione, que coram dominio Tergesti ventilabitur in contestatione litis et in terminis locatis ad probandum, aliqua partium in suo termino pecierit ab adversa parte responderi alicui petitioni facte contra reum sive capitulis vel positionibus, tunc pars, que petita sive requisita fuerit, respondere debeat quibuscunque clausulis vel capitulis, si erunt pertinentes ad causam, confitendo aut negando. ¶ Et si aliqua capitula vel positiones fuerint producta in iudicio per aliquam partium habentium questionem, cancellarii communis vel alter ipsorum debeat denunciare parti

¹⁾ *preiudicat*.